REVERENDISSIMI PATRIS AC DOMINI IOHANNIS MORTONI CANTVARIENSIS OLIM ARCHIEPISCOPI, MAGNI ANGLIÆ CANCELLARII,

trium Regum Consiliarij, viri prudentissimi, optimique, vita obitusque.

Quum maiorum imagines intuemur, vehementissimè tum animus ad virtutem accenditur. Salust. in bello Iugurth.



LONDINI.
Excudebat Richardus Field.
1607.



GEORGIO MORTONO VIRO CLARISSIMO, EQVITI ORNATISSIMO, AMICO OPTIMO SALVTEM.



Rodit in lucem & conspectum hominum sub auspicijs tuis (Georgi Mortone *Eques clarissime*) Iohãnes Mortonus *vir* (*vt in pauca rem vniuersam conferam*) *de Reipublicæ Anglicanæ salute, & fælicitate meritissimus, tibi verò nomine, & cognationis propinquitate coniũctissimus, quẽ ego ante quatuor ferè elapsos annos, ab iniuriâ obliuionis vindicaturum, & tibi inscrip-*

turum me ſpoſpondiſſe memini; liberaui itaque nunc fidem meam, ſic pollicitatione illâ tibi obligatam, et impleui ſi non fortaſsìs omnem quam de me hactenùs concepiſti opinionem (quantum meâ induſtriâ in defuncti memoriâ inſtaurandâ conſequi potuiſſem) teſtis certè officium integerrimi. Tu pro inſigni candore, & æquitate tuâ, veterem conſanguineum lares tuos, poſt centum ampliùs annos inuiſentem, peramantèr (quod ſcio) accipies, cuius recordatione Mortonorũ *familia & gens nobilitata eſt. Et me quoquè veterẽ amicum tuum, cuius (ita me Deus amet) geſtit animus, ſi quid illuſtre de popularibus meis per induſtriam mereri aliquandò poßim, beneuolè (vti ſpero) agnoſces & complecteris. Vale.*

Qui verè & ex animo tuus eſt.
Iohannes Budden.

IO. MORTONI ARCHIEPISCOPI OLIM CANTVARIÆ,

magni Angliæ Cancellarij, trium Regum Consiliarij, &c. *viri prudentissimi optimiq; vita obitusq;*

N eâ Angliæ parte quę ad Austrum spectat, quam Durotriges olim incoluerunt, nunc qui mutato nomine, seruata tamen prisci nominis ratione, (quia maritimi sunt) Dorsettenses vocantur, regione pascuis, & agriculturâ nobilissimâ, Incolarumq; frequentiâ, & humanitate celeberrimâ, non procùl ab oppido quodam cui Beereę nomē est, natus & in lucem editus est Iohannes *Mortonus*. Familiâ ex ea hominum

classe, qui apud nos generosi appellantur, quiq; vt illustrem generis seriem & vetustatem agnoscas, in clypeo quadrifariàm ex rubro & Ermino, (vt heraldicè loquar) diuiso, in rubro duo capita caprina argentea euulsa cornibus aureis gestitare soliti sunt. Pueritiam, nisi quæ pubertati proximior accessit, omnem domi sub parentum, & præceptorum curâ exegit; inde ad Oxoniensem Academiam, quasi ad solum fœlicius transplantatus, ita breui excreuit, vt decursis aliquot annorum stadijs, in virum omnibus literarum & virtutum luminibus clarissimum euaserit. Sermo eius (vt personatus ille *Raphael* in *Mori* Vtopiâ nobis narrat) politus & efficax, ingenium incomparabile, memoria ad prodigium vsque excellens, vtriusque iuris magna peritia, statura corporis, quemadmodum & moles ipsa mediocris, vires supra mensuram corporis, neque aliundè magis quàm de laboribus reparandæ: vultus quem reuereare

uereare, non horreas; ipse etiam in cō-
gressu non difficilis, serius tamē & gra-
uis: non eius quenquam absterruit se-
ueritas, nedùm corrupit facilitas: ad
gratiam & beneuolentiam nobilissi-
morum hominum conciliandam, miris
artibus instructus, tum à naturâ sic in-
formatus, vt nisi ad optima quæq́; edi-
scenda perficiendaq́; animum non ad-
ijceret. Ibi postquàm primam ferè iu-
ventam expleuisset, protinùs è scholâ
coniectus in aulam, maximis in nego-
tijs per omnem versatus ætatem, ac va-
rijs fortunæ æstibus assiduè iactatus,
prudentiam rerum (quæ sic recepta nō
facilè elabitur) multis, magnisq́; cum
periculis edoctus est. Prima togatæ mi-
litiæ stipendia in Arcuatâ (quam ap-
pellant) Curiâ, quæ primas inter Eccle-
siastica Consistoria partes obtinet,
cuiq́; nomen à sūmitate Campanilis,
ad similitudinem intensorum decussa-
tìm arcuum extructi, Temploq́; Beatæ
Mariæ annexi inditum est. Post vtrius-

que iuris per ſummam laudem Oxonij adepta inſignia dignè meruit; ibi eius ſcientiæ fructum ſenſit vberrimũ, cuius nimirum vſus non vno alioue momento, ſed omnibus propè diebus, & horis penè omnibus perquàm eſt neceſſarius: ibi (& quid dulcius libero & ingenuo animo eſſe poteſt?) potentiorum hominum amicitias ſibi deuinciuit, opes diuitum collegit, famam & opinionem optimam propagauit; ibi amicis præſidium, opem alienis, ſalutem periclitantibus, inuidis & inimicis metum & terrorẽ, ſontibus ſuppliciũ, ſuum denique cuiq; per forenſia iſta miniſteria prudens Iuriscõſultus attulit. Intereà in hoc illuſtri aduocationis munere, cum ità ſe gereret, vt nemini non bono gratus, *Thomæ* verò *Bourchiero* Archiepiſcopo Cantuarienſi ob fidem, iuſtitiam, religionem fuiſſet acceptiſſimus, ab eodem beneficijs, & dignitatibus honorificè donatus, *Henrico* denique eius nominis ſexto plurimùm

rimùm commendatus, à ſanctioribus illi conſilijs factus eſt, cui in omni ſlantis reſlantisq́; fortunæ viciſſitudine ſic adhæſit firmus, vt illum nunquàm aut regno opibusq́; ſtantem & florentem principem, imò (quod plus mirere,) rebus omnibus exutum, iacentem deſeruerit; ſed ratus vtramq́; fortunæ paginam amico cõmunem eſſe debere, &c. Reginam quippè ſupra ingenium muliebre acrem & viraginem cum principe *Edwardo* comitatus, poſt cladem propè Towtonum, verè pharſalium noſtrum acceptam, in Galliam traiecit, aleam, ſi fieri potuiſſet, fati ſecundioris experturus: ab illo tempore nunquam in patriam reuerſus eſt, quamdiù captus & ſub Cuſtodiam detentus *Henricus*, niſi in illam, illam inquam Barneti fatalem & funeſtam aciem, vbi eo armorum & conſiliorum impetu, non vter regnaret modò, ſed vter viueret dimicatum eſt. Poſt illius pugnæ exitum, fractis iam & attritis Henricina-
rum

rum partium viribus, *Edwardus* insignibus spectatæ fidei, & prudentiæ exemplis inductus, hominẽ nõ veniâ modò complexus est, sed aduersantẽ quasi renitentẽq; ad se pellexit, adeòque ad intimos beneuolentiæ recessus adsciuit: neque ita multò post, quo testatior esset in eum beneficentia, ad Episcopatũ Eliensẽ euexit; habet præsulatus iste, præter conditionem facultatum, censuumq; cum summis quibusq; comparandã, prærogatiuas etiam regias, & iura (quæ dicunt) Palatini Comitis, quæ *Henricus* octauus huius ex filiâ *Elisabethâ* nepos, vt summam rerum ad se vnum perduceret, ex senatusconsulto Parliamentario sic resecuit, vt tam laxis immunitatum habenis gaudere ampliùs nõ sustinuerit. Enimuerò *Edwardus* post extincta bellorum semina, altâ pace fruebatur: eoq; per virtutis & fœlicitatis bellicæ opinionem vsque in animos hostium insinuauit se, vt etiam audentissimo cuique metuendus vide-

videretur : Itaque ſub imperio illius domi quietē omnes agitabant; arma alijs inferre magis quàm propulſare, rē cum gloriâ maximè cōiunctam expetebant. Cæterùm rebus ſic ad votū affluentibus, *Weſtmonaſterij* agens, in grauiſſimum morbum repentè incidit, animi nè ægritudine, & mœrore contractum, an ex crapulâ (cui indulgere etiam ſupra vires interdum eſt viſus) parùm definio; certum eſt diuturnum fuiſſe & lethalem. Quarè cum deploratam planè ſalutem ſuam ſentiret, nihil prius habuit quàm vt iuſtam voluntatis ſuæ ſententiam teſtamento declararet, in quo inter alios integræ fidei & ſpectatæ probitatis conſiliarios ad exequendam hanc ſupremam ordinationem ſcripſit *Iohannem Mortonum*. Multùm deinde ſuper filiorum curâ nobiliumq́; concordiâ ſolicitus, illos horum tutelæ, hos colendæ amicitiæ, etiam atque etiam ſupremis verbis cōmendans expirauit, hæredemq́; filium *Ed-*

Edwardum moriens reliquit, eiusdem cognominis simul & imperij futurum successorem, nisi ille per summam proditionem & perfidiam obstitisset (cuius damnata est in omne æuum cum scelere memoria) ille inauspicatus Glocestriæ dux; & ruptis, & concultatis omnium officiorum, & religionis vinculis, quibus homines inter se deuinciri fas est, manu plusquàm sacrilegâ augusta regni decora fœdè contrectasset. *Richardus* iste (id enim nomen tyrannus habet) vbi exemptum ê rebus humanis fratrem *Edwardum* cerneret, & malis artibus abundè ad regnum accipiendum grassaretur, extincto apud Pontem fractum *Antonio Woduillo* Comite de Riparijs, viro (ne quid falsi adscribam) erecto animo, quem vtpote *Edwardi* quinti auunculum tyrannus metuebat, & *Gulielmo Hastingio* vltimo supplicio in turre affecto, cæteros quos ex fraternis amicis parùm voto suo obsequentes intelligeret, & inter hos

hos,*Iohannem Mortonum* Episcopum Elyensẽ custodiæ ducis *Henrici* Buckinghamij adiudicauit; imminebat ceruicibus tuis iam (*Mortone*) Tyranni gladius,ac nisi efferatam immanitatem nobilissimorum hominum strages aliquantulum expleuisset,aut augusta venerandi præsulis sanctitas â tam nefando facinore animum abduxisset, non quidem impendens sed præsens periculum præcauere non potuisses;sed ita scilicet Deo optimo maximo visum fuit, & insanientem parricidam cohibere, & vitam tuam illi perniciosam, nobis, populoq́; Anglicano maximè salutarem prorogare. Tacere interim aut dissimulatione præterire nullo modo possum eximiam Academiæ nostrę Oxoniensis,matris certè indulgentissimæ in Episcopum, alumnum olim suum, nunc indignissimè captiuum factum, pietatem, quæ quam ex fortunâ eius secundâ lætitiam & voluptatem ceperat, nunc derepentè omnem coacta

acta est deponere. Quò itaque ferox Tyranni ingenium aliquantulùm mitigaret, & libertatem, si non gratiam, *Mortono* compararet, illustri per epistolam deprecatione vsa est. Christianissimo Regi ac Principi *Richardo*, dei gratia Regi Angliæ &c. Nõnulla sunt, Christianissime princeps, quæ nos vehementèr hortari debeant, vt reuerendum in Christo patrem, dominum Eliensem Episcopum, tuæ clementiæ magnoperè commendemus, primùm, quòd hic vnus ex primarijs ac præcipuis vniuersitatis nostræ filijs iamiam euaserit; deindè quòd in rebus nostris (siquid forte nostrâ interesset) singularem se nobis patronum atque paratissimum se nobis semper præbuit: hęc autem tametsi magni apud gratos homines ponderis ac momenti esse debeant, nunquam tamen persuadere nobis poterant ad orandum pro eo veniam, nisi quatenùs habenda semper esset ratio dignitatis atque salutis tuæ:

quippè

quippè cui ob magnitudinem meritorum in nos tuorum tantum debemus, quantum certè nulli ſuperiorum regũ unquam debuimus. Itaque quoad dubitatum à nobis erat, quo ille animo in tuam præſtantiam futurus eſſet, quidve facturus, fas eſſe nõ putauimus vt illius curantes ſalutem, tuam in diſcrimen adduceremus: Nunc autem quandoquidẽ compertum habemus, illum humano quodã errore, non pertinaciâ lapſum, errati veniam ſemper quæſiuiſſe, commota ſunt tandem viſcera matris noſtræ, quæ veluti *Rachel* plorans filios ſuos, miſerandam chariſſimi filij calamitatem mœſta deplorat, nec proptereà meritò reprehendenda. Sic nim in hoſte pietas erga ſuos laudanda ſit, multò magis in vniuerſitate noſtra tuæ maieſtatis obſeruantiſſima, quæ omnium virtutũ ſtudia profitetur, pietas in ſuos laudari debet. Hæc cum ita ſint, nequaquã vltrà differendum rati, ſupplices ad tuam clementiam

mentiam confugimus orantes atque obſecrantes, vt quoniam nonnullas (quanquam commemoratis offenſionibus leuiuſculas) maieſtati tuæ iam pœnas dederit, conuerſus hominem reſpicias, tuæq; dono gratiæ clementiam impartias; in quo non modò illi, & nobis omnibus, & toti Eccleſiæ gratiſſimum feceris, ſed etiam ingentem tibi & laudẽ & fructum (vti ſperamus) cõparabis. Quis enim auditâ tanti patris reconciliatione, tantam tamque diuinam clementiam ſummis ad cœlum laudibus non efferat? Illud enim Virgilianum gloriabantur Romani in ſuis laudibus dici: Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos: hanc quoque laudẽ (teſte *Saluſtio*) Romani vendicabant, quòd ad ignoſcendas quàm ad vlciſcendas iniurias propenſiores erant. Si hanc præcipuam laudem atque gloriam aſſequi volueris (facilè quidem aſſequêris, ſi hominem complecti voles) Romanos ipſos hoc tuo egregio facto vinces

vinces atque ſuperabis : quantum prę-
terea conſequi fructum ex ea re poſſis,
tametſi nos ipſi ſatis intelligere vide-
mur,commemoratis prępſertim eximijs
ipſius virtutibus,nos tamen maluimus
id totum tacitis tuis cogitationibus
conſiderandum relinquere, quàm ni-
miùm longâ, eaq; inuidioſâ oratione
proſequi;ne fortè putaremur(dum lau-
des viri proſequimur)vi potiùs veniam
extorquere velle,quàm ſuppliciter ora-
re, aut in magnitudine virtutum eius
magis, quam tuæ clementiæ confide-
re, aut denique ad tuam potiùs iuſtiti-
am quàm miſericordiam confugere.
Quocirca de nobis ſic habeto,ſtrenuiſ-
ſime princeps, quicquid hactenus in
cauſa Epiſcopi duximus ſuadendum,
magis officij noſtri cauſâ,quàm clemẽ-
tiæ tuæ diffidentiâ feciſſe.Itaque omiſ-
ſis omnibus quæ vel ad attenuandam
culpam,vel augendam virtutem allèga-
ri poſſunt, omnẽ ſpem noſtram in tua
miſericordia collocauimus;pollicentes

mentiam confugimus orantes atque obsecrantes, vt quoniam nonnullas (quanquam commemoratis offensionibus leuiusculas) maiestati tuæ iam pœnas dederit, conuersus hominem respicias, tuæq; dono gratiæ clementiam impartias; in quo non modò illi, & nobis omnibus, & toti Ecclesiæ gratissimum feceris, sed etiam ingentem tibi & laudẽ & fructum (vti speramus) cõparabis. Quis enim auditâ tanti patris reconciliatione, tantam tamque diuinam clementiam summis ad cœlum laudibus non efferat? Illud enim Virgilianum gloriabantur Romani in suis laudibus dici: Parcere subiectis & debellare superbos: hanc quoque laudẽ (teste *Salustio*) Romani vendicabant, quòd ad ignoscendas quàm ad vlciscendas iniurias propensiores erant. Si hanc præcipuam laudem atque gloriam assequi volueris (facilè quidem assequêris, si hominem complecti voles) Romanos ipsos hoc tuo egregio facto

vinces

vinces atque ſuperabis : quantum prę-
terea conſequi fructum ex ea re poſſis,
tametſi nos ipſi ſatis intelligere vide-
mur,commemoratis pręſertim eximijs
ipſius virtutibus,nos tamen maluimus
id totum tacitis tuis cogitationibus
conſiderandum relinquere, quàm ni-
miùm longâ, eaq́; inuidioſâ oratione
proſequi;ne fortè putaremur(dum lau-
des viri proſequimur)vi potiùs veniam
extorquere velle,quàm ſuppliciter ora-
re, aut in magnitudine virtutum eius
magis, quam tuæ clementiæ confide-
re, aut denique ad tuam potiùs iuſtiti-
am quàm miſericordiam confugere.
Quocirca de nobis ſic habeto,ſtrenuiſ-
ſime princeps, quicquid hactenus in
cauſa Epiſcopi duximus ſuadendum,
magis officij noſtri cauſâ,quàm clemē-
tiæ tuæ diffidentiâ feciſſe.Itaque omiſ-
ſis omnibus quæ vel ad attenuandam
culpam,vel augendam virtutem allega-
ri poſſunt, omnē ſpem noſtram in tua
miſericordia collocauimus;pollicentes

si cætera nobis defuerunt, memoriam saltem tanti nobis collati beneficij nunquam apud nos obliteratum iri. Diu, fœliciterquè valeat tua præstans regia maiestas, Christianissime rex, & princeps strenuissime, omnium nostrorum vnica salus atque perfugium. Datum Oxonij in Ecclesia Sanctæ *Mariæ* Virginis, quarto Sextilis. Sed ille cui mentem omnem malus Dæmon excantâsset, flecti se aut permulceri grauissimæ orationis impetu & viribus haud passus est: Tyranni nimirùm immanitati, præsulis patientiâ litandum fuit. Hinc igitur auectus, & in Arcem Brecknochiensem coniectus, tantisper permansit, donec per insignem prudentiam deluso *Buckinghamio*, viam quà euaderet, aperiret; erat *Buckinghamius* vir antiquâ prosapiâ, acri ingenio, sed aperto, spei & fiduciæ plenus, neque ambitionis culpâ, neque eloquentiæ laudibus vacans, insignis aucupandi gratiam apud populũ artifex, ad iniurias

iurias ferẽdas, aut dissimulandas iuxtà impotens, cuius fortunam aliquandò incuses, interdum doleas. Illum & tyrannum inter, natæ sunt simultates; ob Herefordiæ Comitis latifundia, quæ sibi, tanquam ex asse hæredi, iure deberi iudicabat *Buckinghamius*: dolorẽ inflammauit sũma Tyranni ingratitudo, cuius cùm ita creuisset potentia, idq́; *Buckinghamij* potissimùm operâ, vt ex duce in regẽ crearetur; pati non potuisset, vt quæ Comitis fuerãt, duci redderẽtur. Hâc indignitate permotus *Buckinghamius* noua concilia moliri in-diès in Regem cœpit, quibus impiũ illud & dijs inferis deuouendum monstrum è medio tolleret: sic enim apud se tacitâ quasi inductione colligebat, propter scelerũ noxiã exosus numini, patribus populoq́; iuxtà inuisus, & mihi (quod ex meis rationibus experior) turpitèr ingratus si me in cõmuni causâ cõtrà, armatũ viderit, denso fortissimorũ militũ agmine circumfusũ, vbi locorũ aut

hominum spem salutis suæ aliquam repositam inueniet? illo autèm (vt par est) mactato, mihi præterquàm obtrũcati Tyranni honos continget, Imperij (nisi vana auguror) diadema, in prę-mium virtutis vltrò cessurum est; hæc atque alia fortè præmeditatus ad Elyensem, sub specie nimirùm amoris, re-uerâ vt ipsum quoque in partem conciliorum suorum induceret, illicò profectus est, cœpit cum illo perfamiliaritèr iam agere, omniaq; humanitatis & beneuolentiæ officia erga illum expandere: sed enim ita interim cum duce se gerebat Episcopus, vt diuersum (quod minimè est mirandum) exitum attulerit, huic libertatem, illi interitum, altissima nimirum Præsulis prudentia, & ambitio ducis. Commodè idcircò opportunitatem nactus, simùlque intelligens colloquium hoc *Buckinghamio* fore acceptissimum, blandâ interdùm oratione, & encomio ipsum pro re natâ prosequitur: ibi verò postquàm sermones

mones longiùs producti eſſent, ſentiens eius ſuperbiam, per inuidiam aliquid tametſi fortaſſis primò obſcuriùs & latentèr in honorem Regis eructantem, atque ex eo (ſi res commodè tractaretur) ſuſpicatus fore, vt inter ipſos diu gratia non coaleſceret; callidè inprimis illum inſtigauit, ijs tamẽ artibus vſus, vt non præire ſed ſubſequi videretur. Quamobrẽ vbi Regem laudare & oſtentare quaſi plenis buccis occœpiſſet *Buckinghamius*, quantumq; ex eius imperio vtilitatis Anglia eſſet perceptura deprædicare, *Mortonus* in huiuſmodi ſententiam fertur reſpondiſſe. Enimuerò (dux illuſtriſſime) eſſem ego, ſi mentiar, meritò hominum omnium ſtultiſſimus; etenim ſi iuramenti religione contrarium affirmarem, nullam (vti credo) fidem oratio apud te mea reperiret: Cæterum ſi (quod ego maximè in votis ſemper habuerim) *Henrici* ſexti filius ſceptro potitus fuiſſet, non *Edwardus*, qui nunc in fata in-

cubuit, haberem equidèm vnde gauderem ſeriò: poſteaquàm igitur ille paritèr cũ vitâ regno exutus, regni faſces *Edwardo* reſignâſſet, nũquam ita herclè deſpui, vt mortui cauſâ vellem cum viuo armis contendere, adeòque illi fui per omnẽ vitam obſequens, & (quod oportebat eum maximè, qui illi erat a ſacris) fidus permanſi, & lubentèr filium principem eadem (ſi Deo viſum eſſet) fide, cultuq́; poſteà agniturus; cæterùm ſi aliter diuinæ prouidentiæ viſum eſt, contra ſtimulum (quod aiunt) calcitrare non conſtitui, neque illud erigere quod proſtrauit Deus. Quantum autem ad illum Regni olim tutorem, & nunc Regem; ibi ſubitò deſtitit, & plus (inquit) quàm meo ordini ſatis eſt, rebus mundanis me inſerui hactenùs, itaque quicquid de cętero vitæ ſupererit, libris & orationibus impendam. Inflammatus illicò intelligendi ardore, ea quæ dicere incœptâſſet *Buckinghamius* (quippe quem ſub

Regis

Regis nomen derepentè ſubticuiſſe animaduerterat) bono animo es (inquit) & quæ præterà apud te cogitâſti audactèr dicito, quandò ex eâ re nullum tibi damnum creabitur, & quàm tu facilè reris, inſignius bonū. Et verò (inquit)tuo(pater)ſecreto,& fideli conſilio vti decreui, id quod non leui mihi incitamento fuit,quamobrem in cuſtodiam meā abs Rege te datum impetrauerim,quam(ſi rectè interpreteris) domum non carcerem inueniſti: quod niſi feciſſem, fortaſſis in eorum manu permanſurus eſſes,apùd quos perſimilem gratiā nō habuiſſes; Epiſcopus actis illi humilitèr gratijs, de Principibus (ita me Deus amet) multùm fabulari gratum non habeo, vtpote de re, extra omnem periculi aleam minimè poſitâ (ipſa tametſi vox culpâ vacet) quandò pro Principis animo ſæpe, quàm dicentis ſententia magis quicquid dixeris explicabitur. Idcircò elegantem Æſopi fabellam recolere ſolenne habeo:

nam quando leonis edicto, sub capitis pœnâ, cautum erat, nullum deinceps in illa sylua cornuto animali reliquum futurum locum, ex omnibus vnum, cui nata in fronte caruncula eminentior, præcipitē in fugam se coniecit: id vulpes conspicata, & quò (inquit) tàm celeritèr te subducis? profectò ita hinc me eripuerim (respondit,) nihili æstimo, ob edictum hoc in cornuta animalia nupèr editum. Apagesis (inquit) cum istâ stoliditate tuâ, vulpes; etenim & hîc tutissimum esse potest tibi perfugium, nequè de te aliquid suspicatus est leo, quandò in capite tuo, cornu nullum geris. Id propè (inquit) intelligo, at si cornu appellauerit, quid de me futurum est posteà? subrisit *Buckinghamius*, & nequè leo, neq; aper super hâc re (inquit) quidquid intelliget. Ædepol (subiecit Episcopus,) si (quod eram dicturus) eius nunc fama ad quenquā perueniret, deductâ in Bilancem rationis re, grates, vti ego existimo, mereri

facilè

facilè potuiſſet, id ſi perperàm interpreteris, vtrunque noſtrum damno, te verò incommodo longè grauiore afficeret. Tum incenſum cupiditate ſciendi ducem, Epiſcopus alloquitur. Enimuerò (Domine) ad Regni Curatorem vltimum quod attinet, qui nunc Regno ipſâ vſurpatione incumbit, quemadmodum aliquid in eo iuris nanſciſcatur, haud multùm ſum ſolicitus. Cæterùm Reipublicę eius bono, cuius illi principatus defertur, cuiuſq; ego, inter poſtremos licet, ciuis ſum, optare nunc incipiebam, vt ſingularium illarum dotium (quibus nunc quamplurimis inſignitur) meâ laudatione parùm indigentium, ad cumulum etiam excellentes illas virtutes ad imperium adminiſtrandum adiecisset, quas tibi (Princeps sereniſſime) in pectore inſeuit Deus, ibique rurſùs ſermonem cohibuit. Dux ſubitaneis Epiſcopi interpellationibus, quaſi totidem parentheſibus, haud parùm perculſus, alto

ſuper-

ſupercilio ſic refert; (Domine Præſul) clarè nunc perſpicio crebras illas loquendi interſpirationes tuas, & quaſi diaſtoles, vt mihi, quantùm ex verbis licet colligere, ſenſum nullum attingam vndè vel in Regem vel in meipſum animatus ſis: nam quòd eximias in vtrumque noſtrum laudes congeris, quibus ego ſic vt indignus ſum, ita prædicationem earum non aucupor, nonnihil indè ſubolet mihi, te vel opinionem neſcio priuatam aliquam odij fortaſſis, aut amoris gratiâ inſculptam imbibiſſe, quam præſertìm præ metu non audes, aut pudore victus puerili aperire verecũdaris: quem (ità dignitatem meam ſemper illibatam ſeruem) in hoc negotio taciturnum inuenies, vt neque ſurdum, aut elinguem magis cantor, aut venator arborem. Plenus fiduciâ ex hoc reſponſo Epiſcopus, ingenij ducis ad ſumma aſpirantis non ignarus, neque in Regem inuidentiæ; cœpit iam cõfidentèr abditiſſima cordis

dis penetralia illi ad inſpiciendũ proponere, hoc ſcilicèt facto ratus, aut *Richardo* perniciem afferre, & principales honores adimere, aut flammam ambitionis in Ducẽ ſic incendere, vt ipſe denique omni periculo immunis euaderet, id quod breui (ſecundo numine) Regi exitium, Duci interitum; ſibi ſalutem, & decus peperit. Factus iam ducis pollicitatione Præſul confidentior, in hunc modum verba facit; Clementiſſime Domine, ex quo primùm tempore tuæ cuſtodiæ addictus fuerim (quam ego libertatem veriùs quàm cuſtodiam experior) deſidiæ vitiorum omnium altricis pertæſus, fugitanſq; dùm vetuſtioribus libris perlegendis totus incumbo, in hanc ſententiam fortè incidi, Neminem ſui iuris, aut arbitrij ſolum pendere: officiorum quippè partem vnam in parẽtes referendã, quibus, naturâ ſic dictante, ortũ ſimul & nutritia debemus, in amicos & ſanguinis proximitate coniũctos alteram, cæterùm

cæterùm natale ſolum, in quo iucundiſſimum hunc ſupparaſitantis mundi ſpiritum hauſimus, merito ſanè ſuo maximo, neque menti excidere, neque ſilẽtio inofficioſo præteriri debet. Quam ego ſententiam dum apud me ſæpiùs recolligo, tum recordari ſoleo, quo in loco patria hæc, & reſpublica anteactis temporibus ſtetit, atque etiam nunc ſtat, quem nunc habemus præſidem, qualemq́; habere poſſimus, clarè namque proſpicio, regnum excidio non procùl abeſſe. Cæterùm hæc me ſpes vnica iacentem quaſi erigit, & cõſolatur. Quoties enim ſpeciem hanc tuam tàm excellentem intueor, iuſtitiam & æquitatem, acrem, ardentemq́; in patriam amorem tuum, illius erga te viciſſim ſtudium & voluntatem, doctrinam eximiam, fœlix ingenium, eloquentiam inſignem, quæ omnes certatim te exornãt, tẽperare mihi nequeo, quin, ô fortunatum Angliæ ſtatum, exclamem, quæ talem, tantumq́; principem

pem tibi reſeruaſti! vbi verò dotes o-
lim valdè bonas, eius, qui de curatore
regni repentè factus eſt regni rex, per
Tyrannidem violatas, per authorita-
tem nimiam mutatas in peius, per cæ-
cam ambitionis nubeculam obductas
conſpicio, affirmatè pronuntio illum
tanto imperio adminiſtrãdo ineptum,
regnum ipſum indigniſſimis modis
habitum, quod à tyranno per vim gu-
bernetur. Quid? an non ad regni diade-
ma arripiendum nobiliſſimorum ho-
minum cædibus & parricidio graſſa-
tus eſt? an non matrem ipſam palàm
adulterij inſimulauit? an non fatres
iuxtà ac nepotes ſuos illicito cõcubitu
fuiſſe editos mentitus eſt? tum poſteà,
quaſi parùm ex ſententiâ facinus pro-
ceſſiſſet, innocentes animulas fœdiſſi-
mum in modum trucidari iuſſit, qua-
rum de terrâ ſanguis vindictam apud
Deum optimum maximum aſſiduâ
ſupploratione inclamat. Quis eſſe po-
teſt ſub eius tyrannide reliquus cuiquã
ſalu-

ſalutis, aut perfugij locus? qui ſuorum interitum nihili, cæterorum omnium minoris, ſi fieri poteſt, nihilô facturus eſt? Verùm, vt vno verbo quid velim intelligas, ſi quâ relligione, fide, charitate Deum, cognatos, patriam denique ipſam complecteris, principales Regni honores tibi decernendi ſunt, ſimul vt imperium hoc ſartum tectum conſeruetur, ſimul vt ceruicibus noſtris (ah nimiùm diu impoſitum) ſeruitutis onus detrahatur: id ſi repudias, tum religioſo in deum fidei tuæ vinculo te adſtringo, rationem, aut modũ indagare, quibus ſub bono principe, Imperium, quod nunc aſperum & crudele experimur, fiat moderatius. Hæc loquutus Elienſis, filum orationis abrupit, *Buckinghamio* ne-quicquam pro eâ vice reſpondente. Poſtridiè iterum ambo conueniunt, de ſummâ rerum ampliùs deliberaturi: ibi *Henricũ Richmondiæ* comitem, *Iohannis* Somerſettentium ducis ex *Margaretâ* filiâ nepotem,

tem, qui genus ſuum ad magnum illum Lancaſtriæ ducem *Iohannem Gandauenſem* referebat, & *Elizabetham* è filiabus *Edwardi* quarti natu maximã, Eboracenſis porrò familiæ certiſſimã hæredem (modò nuptias inter ſe contraxerint) Reges Angliæ communibus ſuffragijs conſalutant; huius negotij conficiendi cura *Reginaldo Braio*, vni ſcilicet, ex omnibus *Margareta Richmondiæ* ſeruis fideliſſimo mandata eſt, qui (vt virum bonum decuit) illorum iuſſa fide optima perimpleuit. Elienſis interim commodam ſeſe ſubducendi occaſionem nactus clàm, mutatâ veſte, in Inſulam Elienſem fuga ſe eripit, indè pecunijs & amicis benè inſtructus, ſecundo vento in Belgiam nauigat; ibi verò quantâ fide & diligentiâ ſe geſſerit, hiſtoriæ, vel me tacente, prolixè eloquuntur. *Frãciſcum* Britanniæ ducem, cuius in cuſtodiâ diù permanſit *Henricus Richmondius*, per nuncios ſollicitauit Rex, vt captiuus in poteſtatem ſuam dede-

dederetur, id fruſtrà ſatagebat, nam bonus ille Britanniæ dux precio in perniciem eius corrumpi nō potuit. Tandèm ablegati oratores animum ducis huiuſmodi lenocinijs pertentârunt, fore nimirùm vt non *Richmondij* ſolùm cenſus & reditus annui, verùm eorum omnium, quos in poteſtate habebat, in fiſcū ducis peruenirent, Regē Angliæ nihil porrò orare, quàm vt perpetuo carceri mancipetur. Dux cui per ægritudinem diuturnam vnà cum viribus ipſa memoria labaſcebat, oratoribus accipiendis parùm aptus habebatur. Itaque *Petrus Landoyuis*, qui ærario tùm temporis præfuit, (vir ipſâ auaritiâ corruptior) recepit ſe iſtis poſtulatis obtemperaturum, & perfeciſſet certè niſi Elienſi aliquid de coniuratione ſuboluiſſet; continuò igitur re vniuerſâ intellectâ, *Chriſtophorum Vrſwicum*, qui *Richmondium* certiorem faciat, ablegauit, ſimulque monet, vt primo quoque tempore in Galliam ſub ſpecie venationis

nationis abeat; paruit *Richmondius* Elienſi benè monenti, & ad *Carolum* Regem contendit, à quo perbenignè acceptus, copias ſimùl, & opes impetrauit; quod niſi ab Elienſi ſic monitus fuiſſet, aut ſi inſidias multò anteà quàm ſtruerentur non præuidiſſet, de tuâ ſalute, & fortunis omnibus (*Richmondi*) planè actum fuiſſet, neque tu inter familias principales, propè ad reipublicæ internecionem bellis pluſquàm ciuilibus diſſidentes, æterni fœderis author fuiſſes; neque tu roſas; neque ex filiâ tuâ *Margaretâ* prognatus abnepos regna immortali amoris & beneuolentiæ vinculo fœliciſſimè coniunxiſſes: huius itaque beneficij *Henricus* Regno potitus benè memor, de exilio in patriam ipſum reuocauit, regniq́; ſupremum Cancellarium, in locum *Iohannis Alcoci* Epiſcopi Vigornienſis cõſtituit; deindè *Thomâ Bourchiero* è viuis ſublato, eundum ad Metropolim Cantuarienſem à monachis

C poſtu-

postulari, & ab Eliensi præsulatu solui, atque trãsferri curauit. Factus iam Archiepiscopus, quod bonum pastorem maximè decebat, Ecclesiam suæ fidei concreditam prudentèr administrauit, annoq; 1486. synodum Londini in Æde Paulinâ celebrauit: multa in illo patrum congressu proposita sunt & agitata, nonnulla etiam sancita, quæ in vulgus prodierunt. Clerũ Londinensem, quòd vestibus mollitèr lasciuiret, togisque clausis non pro more vteretur, sed apertis, (id quod tunc temporis valdè indecorum habebatur) quòd in cauponis & tabernis vinarijs, frequentiùs quàm decebat sobrios, sederet & perpotaret, quòd in concionibus ad Crucem Diui *Pauli*, auditores & populum præsentem nihil doceret, sed Ecclesiasticum ordinem sæpè sugillaret, in Episcopos absentes ineptâ & virulentâ oratione debaccharetur, & corã Laicis præsertim, qui nescio quo vitæ instituto, aut morum vitio, habiti sũt sempèr
erga

erga Ecclesiasticos alieniores, Archiepiscopus grauitèr corripuit. Quin potiùs, inquit, si quenquam in vestro ordine sic aberrare contigerit, vt redarguatur, suo priùs Antistiti rem incusate; hac viâ si nihil profeceris, ad me deferte, qui nisi crimen debito supplicio sic affecero, vt de spe impunitatis interim, quæ maxima est deliquendi illecebra, minimè glorietur; haud recuso, quin contumelias & opprobria in me iaciatis, & in caput hoc, concionum & concionatorum, quicquid est redundet increpatio. Hæc atque alia dum in Synodo geruntur, Ipsi, Senatui, cœtuiq́; Ecclesiastico, narratur adesse præ foribus, magnum Angliæ Quæstorem *Iohannem Dynhannum*, *Iohannem* Comitem Oxoniensem, *Thomam* Comitem Derbiensem, Regio nomine illuc ablegatos oratores, qui mandata Archiepiscopo, cæteroq́; conuentui in hanc sententiam exponerent, *Franciscum* Britāniæ ducem, à quo dum Rex

Henricus extorris ageret, malitiam & insidias crudelissimorum hostium veritus, benignè hospitio est acceptus, anxium esse & solicitum, ne crescente simùl cum ambitione Regis Galliarum inuidiâ, subito, nec opinato bello opprimeretur: *Henricum* proindè Regem veteris apud Britannũ hospitij non immemorem, ne quid per vim charissimo amico contingeret, operam daturum, adductum quinetiam beneuolentiâ subditorum suorum, tum maximè fide & officio præsulum Ecclesiasticorum, monere vt ex eo intelligerent, & quid ipsis faciendum incumberet, & quid rex iure optimo expectaret. Quæ postquàm peroràsset, Archiepiscopus re cũ patribus cõmunicatâ, obtinuit vt *Henrico* Regi viginti quinque librarum millia, preter decimã integram, decerneretur. Demum Archiepiscopus, ne ipse parùm sapere videretur, quum esset in rem aliorum egregiè sapiens, quod ex sententiâ Græci versiculi, omnibus

nibus eſt in odio, μίσω σοφιςὴν ὃς ὐχ ἑαυτῷ σοφὸς; per vniuerſam prouinciam Cantuarienſem grãdem pecuniarum vim, ſubſidij dicam an beneuolentiæ loco, (& adiecta eſt verborum ſolennis forma: Ad Dei laudem & eccleſiæ Anglicanæ defenſionem) percêpit; primâ (vti ego accepi ſolutione) è Dioceſi Cantuarienſi, (nam de reliquis diuinare nõ eſſet difficile) 354. numerata ſunt. Tantis itaque fortunæ dotibus inſtructo, & ſecundum à Rege locum occupanti nihil iã defuiſſe, aut ſi animus ad honorum faſtigium natus, conſequi quid amplius velit, Galerus ille coccineus in votis erat; quamobrem anno tranſlationis ſuæ octauo, ne diutiùs a ſũmâ dignitate abeſſet, ab *Alexandro* ſexto Cardinalis tituli Sãctæ *Anaſtaſiæ*, inter patres purpuratos adſcitus eſt. Vrebat iſte nouus dignitatis apex, fortaſſis in clero etiã alios, *Richardũ* certè Epiſcopũ Londinenſẽ maximè, qui per id tẽpus cum Archiepiſcopo Cantuarienſi,

si, super defunctorum testamentis resignandis, insinuandisq́; litem aluit dispendiosam; suggerebat insuper, quòd propter rubri pilei dignitatem, iustitiæ complementũ (sic enim loquitur) obtinere diffideret, idque se aiebat religiosâ attestatione interpositâ, paratũ esse cõprobare. Serebat etiam in vulgus, illum sacrâ Christianorum communione, per contumaciã nescio quã, exclusum, ratus hoc pacto futurum, vt si in certamine victoriâ minor, causæ saltem bonitate melior vtcunque pronũciaretur: sed hoc innuisse, quàm annotasse satius erat; itaque aliò nũc flectenda est oratio. *Anselmum*, virum doctrinâ aut pietate, incertum an clariorem, sic præ cęteris admiratus esse dicitur, vt eius memoriam religiosè prosequeretur, & in numerum sanctorum (sed magnis sũptibus) ascribendũ curaret. Id quod *Henricus* septimus, dũ in patrui sui *Henrici* sexti (superiorum Regum nemini sanctitate secundi) gratiam

tiam efficere tentâſſet (vidi enim poteſtatem *Iohanni Mortono* conceſſam ſuper vitâ eius & miraculis inquirendi, vt inde collectâ fide, quid de Sancto ſtatuendum videretur, occurreret) expenſarum (vti ferunt) magnitudine, vtpote octingentis quinquaginta quatuor ducatis effundēdis deterritus à ſuo propoſito prudentèr deceſſit. Enixa eſt puerperio poſt homines natos longè fœliciſſimo Elizabetha Regina filiolam ſuam natu maximā *Margaretam*, Regũ (quod ego ſpero & voueo) vſque ad mundi vniuerſi excidium, futuram immortale ſeminarium: illam è ſacris baptiſmi lotionibus excepit *Iohannes Mortonus*. Quantus in hoc munere ſubeundo ſplendor? ſuâ fide pro illius religione iubere, quam infinita ſæculorum omnium ſeries Regum inclytiſſimorum filiam & (quod longè ſuperat) *Iacobi* Britanniarum Monarchæ proauiam celebrabit. De quâ magnus ille *Eraſmus* in Epigrammate quodam
 ſic

ſic pulchrè cecinit.

Proxima cõſequitur nymphe, quæ nomina ducit
Ab vnione Perſici fætu maris.
Omine delector, blando candore lapillus
Placet; pudore Margarita *lacteo,*
Hic teres eſt, nec inæquali tenore rotundus
In Margaritæ *moribus ſcabrum nihil.*
Eſt noua cum liquido gemmæ cognatio cœlo,
Claret ſereno ſole, pallet nubilo.
At mea virgo pijs eſt addictiſſima Diuis,
Cœlumq́ mauult, quàm vagũ pelagus ſequi.
Hanc qui cum ſocijs vidiſſet ludere Nymphis,
Habiliq́ fratrem tela torquentem manu,
Aureus hic Phœbus, ſoror hæc argẽtea Phœbi
Per ipſa iuret alma Phœbi lumina. (eſt,

Incidebat per id tempus grauiſſima Cornubenſium in Rempublicam ſeditio, qui imperatam in bellum Scoticũ pecuniam, dolore partim atque animi ægritudine præcipites acti, vtpotè qui ſteriliſſimam totius inſulæ partẽ, eamque, ſi cum cæteris comparatur, minimam incolentes, tantùm plumbo ſtannoq́; fodiendo dies noctesq́; ceu piſtrino affixi tenuem victum ſibi quæritarent,

tarent:, conferre ſe ampliùs poſſe pernegant. Iſtius mali fontes *Iohannem Mortonum* & *Reginaldum Braiū*, quòd principes eſſent domeſtici ſenatus, & apud Regem in gratiâ flagrantiſſimâ, vociferantur; eos proindè ad ſupplicium pro tanti facinoris indignitate, deſignandos, in eos potiſſimùm ceu Reipublicæ ſicarios & carnifices, quàm bonos cōſiliarios veriùs, qui ciues paupertate, & rerum indigentiâ confectos deglubunt, exoſſantq́;, in eos inquam tanquàm in pernicioſiſſimos parricidas, more maiorum pœnis capitalibus litandum vindictæ eſſe. Quum illi tamen, quos præ cæteris regiæ indolis corruptores inſimulabant (niſi omnem hiſtorijs fidem & veritatem detractam velimus) ita recta, honeſtaq́; officia rigidè colebant, vt ſi quid *Henricus* ipſe interdum admiſiſſet, *Mortonum* & *Braium* acerrimos cenſores, & quaſi magiſtros morū eſſet habiturus; adeò vulgus hominum, peſſimo errore plerunquè

runque abducitur. Cæterùm post miserandam Cornubiensium cladē, quâ teterrimæ coniurationis faces extinctæ sunt, *Mortonus* vergēte iam, ad extremam senij periodum ætate, domi se continebat, simùl vt hominum inuidorum calumnias aliquantulùm obtunderet, qui benè merenti malam gratiam reponere studuerunt; simùl vt erogandis in pauperum vsus eleemosynis, accipiendisq; aduenis & peregrinis vacaret, (qui eò frequentes quasi ad publicum aliquod diuersorium concurrere soliti sunt) Apostolici præcepti memor, oportere Episcopum hospitalem esse. Fortè fortunâ quum die quodam in eius mensâ essent, qui leges patrias profitebatur, alius qui orbis contemplandi studio diù peregrè absuisset, plurima inter illos super infligendâ furibus pœnâ oborta est disceptatio, illo rigidam iustitiam collaudante, per quā nonnunquàm in vnâ cruce suspēduntur viginti, hoc asserente punitionem hu-

huiuſmodi,& ſupra iuſtã eſſe, & nõ ex vſu publico, donec *Mortonus* quid ex vtraq; parte afferri potuiſſet intelligẽs, pro lite dirimendâ ſententiam ſuam interpoſuit; adiecit porrò ſibi æquum videri, vt etiã in quos hactenùs tam multis legibus nihil profeciſſent, ad eundẽ modũ, quẽ pro furibus coercẽdis peregrinus excogitâſſet, tractarentur. Quũ perorâſſet Cardinalis, eũ certatim laudibus qui accũbebant proſecuti ſũt, ob id tamẽ maxime, quòd vagis erronibus aliquâ ratione proſpiciẽdũ fore decreuiſſet. Excipiente autem quodã, vt non furibus & erronibus modò, verùm illis etiã, quos aut corporis imbecillitas, aut ætatis impotentia laboribus inutiles effeciſſet, aliquid ex decreto publico conſuleretur; quidã paraſitus, qui adſtabat, & morionẽ agere ſimulabat, ſine me inquit, nam ego quemadmodum hoc certè fiat, ipſe videro, mendicos omnes morbo, aut ſenio confectos in Benedictinorum collegia relegãdos cenſeo,
vt

vt laici fiant monachi, mulieres moniales esse iubeo: subrisit Cardinalis, & approbat ioco, cæteri etiam seriò. At ne sic quidem te expedies, inquit Theologus quidam frater, nisi pro nobis quoque, qui fratres sumus, vnde commodè sustentemur, aliquid consilium ineas. Atquî (respondet parasitus) hoc iam curatum est satis, nam Cardinalis egregiè prospexit vobis, quùm de Erronibus castigandis sentētiam dixerit, nam vos estis Errones maximi. Etiamnè inquit (frater) nos Errones maximos appellas, tu nebulo, detractor, susurro, fili perditionis: scurram postquàm se ita acceptum vidisset, instigare nunc non erat opus, & noli, inquit, irasci (bone frater) scriptum est, in patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras: tum frater, nō irascor, inquit, furcifer, vel saltē non pecco, nàm Psalmista dicit, irascimini, & nolite peccare. Admonitus deindè frater à Cardinale suauitèr, vt iracundiam ebullientem edo-

edomaret; non domine, inquit, ego loquor nisi ex bono zelo, sicut debeo: nam viri sancti habuerunt bonum zelum, vndè dicitur, zelus domus tuæ comedit me; & canitur in Ecclesijs, Irrisores *Elizei*, dum conscendit domum Dei, *Zelus* calui sentiũt, sicut fortasse sentiet iste derisor, scurra, ribaldus. Facis, inquit Cardinalis, bono fortassis affectu, sed mihi videris facturus, nescio an sanctiùs, certè sapientiùs, si te ita compares, ne cum homine stulto in palæstram congrediare; non Domine, inquit, non facerẽ sapientiùs; nam *Solomon* ipse sapientissimus dicit, responde stulto secũdùm stultitiam eius, sicut ego nunc facio, & demonstro ei fouęam, in quam cadet, nisi benè præcaueat; nam si multi Irrisores *Elizei*, qui erat tantùm vnus caluus, senserunt *Zelus* calui, quanto magis sẽtiet vnus derisor multorũ fratrum, in quibus sunt multi calui? & etiam habemus bullam Papalem, per quam omnes, qui deridẽt nos, sunt

ſunt excommunicati. Cardinalis vbi vidit nullum modum eſſe loquendi tam garrulo fratri, nutu ablegato paraſito, ac ad aliam rem conuerſo ſermone, è menſâ ſurgit, atque audiendis Clientum negotijs dedit ſe, & dimiſit conuiuas; fui in hac fabulâ enarrandâ fortaſſe quàm decuit verboſior, prætererire tamē non potui, vel quia eam *Thomæ Moro* in aulâ Cardinalis à pueris educato, mox apud illuſtrem Academiam Oxonienſem, eiuſdem patris beneficentiâ informato, perplacuiſſe videā, qui me ſuis penè verbis in Vtopiâ præiuit, vel quià eius viri memoriæ ſtudio vehementèr abducor, cui quum tu tam impenſè faues, videris herclè mihi neſcio quibus philtris charior effectus, quum eſſes aliôqui vel tuo ipſius nomine longè chariſſimus: nam Oxonium, nobiliſſimam Academiam noſtrā, ſuam, vt ille appellare conſueuit, matrē ſplendiſſimā, quibus beneficijs proſequus eſt, præter conſignatas literarum
mo-

monumentis gratiarũ actiones, gentis suæ insignia passim in suggestu ad Diuæ virginis, & in scholâ theologicâ studiosè insculpta, eius erga bonas literas promouendas industriam, simùl & munificentiam prolixè ostẽtant. Cancellarij munus, quod nemini vnquam obtigit, nisi dignitate summâ & bonitate conspicuo, quodq́; alij (reiectâ interim de ambitu lege Iuliâ) multâ prehẽsatione aucupantur, illi ab Academia vltrò delatum est; & gessit certè ille magistratum hunc sibi perhonorificum, & gloriosum, nobis commodum, & salutarem: moriens quippè, in testamento viginti Oxonij, Cantabrigiæ decem scholares suis sumptibus in bonis literis instituendos viginti totos annos piè imperauit, summamq́; 133. libra. *6.* sol. 8. den. in eum finem subministrãdam curauit: in pauperibus fouendis, liberis indigentium alendis, notis & familiaribus promouẽdis, propinquis & consanguineis per honorificas, & opimas

mas hæreditates locupletandis, in condendis & reparandis ædibus quantus fuerit, nam & Lamebitham detersa prorsus vetustate instaurauit, & castrum ex cocto latere, quod nunc Wisbici visitur, auorũ nostrorum memoriâ extruxit; & incile in palustri regione duxit ad subuectationis cõmoditatẽ, vt aduenarum frequentatione, vberiore quæstu oppidum incresceret; vt taceãt homines, parietes ipsi prolixè eloquũtur. Appulerat iam homo senex & deuexæ ætatis ad extremum vitæ præcipitium, vnde, confecto rerum humanarum stadio, repositam in cœlis beatitudinem, annorum & curarum satur expectaret. Quod ille non procùl abesse sentiens, supremam voluntatis suæ testationem in hæc verba declarat. Ego *Iohannes Mortonus* &c. sanus (Deo laudes) corpore, & compos mentis, mecũ commemorans, quòd cunctis vna sit moriendi necessitas, nihilq; certius morte existat, & si hora, genusq; mor-

tis

tis incerta fuerint, nilq́; rebus in humanis execrabilius esse poterit, quàm Dei, suiq́; ipsius obliuio, quoniam peccator moriens, sæpenumerò obliuiscitur sui, qui, dũ viueret, obliuiscebatur Dei; condo testamentum &c. In eo legata, & ex ipsâ hæreditate in pios & publicos vsus delibationes erogatæ sũt plurimę. Regem *Henricum* septimum, Dominum & patronum clementissimum, Reginam *Elizabetham* lectissimam heroinam, principem *Margaretã* filiolam suauissimam, matrem Regis *Margaretam* fœminam incomparabilem, aliquo beneuolentiæ & gratitudinis pignusculo moriens donauit. Nã *Henrico* portiferium (vt appellant,) *Elizabethæ* psalterium, *Màrgaretæ* filiolæ, scyphum aureum, vnà cum dolijs, & quadraginta libris, *Margaretæ Richmõdiæ*, beatæ virginis *Mariæ* ex auro puro conflatam imaginem, Ecclesiæ Eliensi mitram & Crucem Archiepiscopalem, omnem denique famulis su-

pellectilem, animam diuinæ misericordiæ cõmendauit. Mandauit etiam & de funere, quod intra mille marcarũ summam magnificè celebratum esse voluit, nam de sepulchro præsertim sumptuoso, nisi quòd marmoreo lapide corpus suũ cooperiri ordinauit, ingens est silentiũ. *Thomam Mortonum*, & *Iohannem Mortonum*, duos ex fratribus filios scripsit hæredes, & *Iohannem Fineuxium*, supremum in tribunali regio iudicem, cum alijs quoque nonnullis Ecclesiastici ordinis viris, executorem instituit. Ità confecto multorũ annorum curriculo, optimus pater placidè in Domino obdormiuit, postquã tribus regibus, ingenij, doctrinæ, pietatis & experientiæ causâ charus & acceptus fuisset, & apud singulos in maximâ authoritate, gratiáq; præ cæteris eius æui mortalibus, floruisset.

FINIS.

ri-
m
rū
ſſe
m
pi-
n-
s,
ri-
us
e-
n-
u-
rū
a-
uā
a-
c-
x-
ris

BRITISH M

DEPARTMENT PRINTED

CATALOGUE 14657.

AUTHOR BUDDEN, I

TITLE REVERENDISSIM

DOMINI. MORTONI. VIT

PLACE & DATE OF ORIGIN LO



British Museum Photogra

D 379682 Wt. 264128 5m. 3/68 KCN Gp. 807 (5856)

H MUSEUM

TED: BOOKS.

7. ORDER 691152.

JOHN.

SSIMI. PATRIS. AC.

I. VITA. OBITUS.

LONDON. 1607.

2 | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | CENTIMETRES

otographic Service, London